



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**S. Avrelii Avgvstini Hipponensis Episcopi Et S. R. E.  
Doctoris Vita**

**Lancilottus, Corneille**

**Antverpiæ, 1616**

Cap. XLIX. Exemplo D. Augustinus doctrinaque monstrat, omni ratione  
pauperibus opitulandum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42857**

tionem domus, senes pariter & iuvenes, puellæ ac pueri subministrabant. *Quâ ex re, ait, colligitur, quia si quibus hæc pietas facta est, ipsi illic operatores esse videantur.* Igitur, vt initio dictum est, non tam in priuatum aliquod compendium, quàm in ipsorum bonum, qui erogabant, eleëmoly-nas admittebat.

*Eleëmoly-  
na collatori  
prodest.*

Ceterum tantum abfuit vt eam ob causam in suspicionem alicuius auaritiæ deueniret, vt potius contra eum fuerit exclamatum, quòd defunctorum hereditates non adiret; adderentque ex eo proficisci, quòd segniores essent fideles, vt Ecclesiam heredem instituerent. Quam ob causam fuit ei necesse, pro concione defensionem sui comparare sermonibus aliquot: quibus quàm esset remotus à philargyriâ, satis superque deducitur.

## CAPVT XLIX.

*Exemplo D. Augustinus doctrinâq; monstrat,  
omni ratione pauperibus opitulandum.*

**A**DEO verò in pauperes erat beneficus, vt cum pecunia non suppeteret, calices, vt supra perstrinxi, & Ecclesiæ vasa, exemplo diui Ambrosij conflari iuberet, pretiumque eorum in vsus distraheret egenorum. Cui rei Possidius est testimonio,

Cap. 47.

Possid. c. 24



nio, qui foediffimam carpens confuetudi-  
 nem ditandi amicos, eam sanè quàm lon-  
 gè ab eo remouet. *Non enim, aiebat, Episco-* Serm. 49.  
*pi est seruare aurum, & renocare à se mendi-* c. 5. De di-  
*cantis manum.* Et aliàs: *Excusationem in die* uerfis.  
*iudicij non habebitis, nisi vos in bonis operi-* Serm. 1. in  
*bus exercueritis, & eorum quæ audistis, tam-* Pfal. 103.  
*quam pluuie fructum congruum dederitis. Si*  
*potes dare, da; si non potes, affabilem te præ-*  
*sta. Coronat Deus intus voluntatem, ubi non*  
*inuenit facultatem.* Hinc pat illa D. Am-  
 brofij sententia, quâ dicit, *Aurum Ecclesia* Serm. 50.  
*habet, non vt seruet, sed vt eroget.* De diuers. Corolla-  
 rij loco accipe raræ continentia in Augu-  
 stino specimen. Erat Leporius quidam ge-  
 neris nobilitate conspicuus, ac re amplâ  
 præditus: hunc in monasterio vnâ cum  
 pauperibus Augustinianis Deo seruire cu- Leporius ad  
 pientem non prius admittit, quàm amore Religionem  
 Christi bona omnia in xenodochij, mo- non admit-  
 nasterij, vel basilicæ structuram erogasset. titur, nisi  
 Afflictos autem, pupillos, & viduas, iuxta facultati-  
 Apostoli Iacobi monitionem visitabat, & bus in pios  
 grotantes libens consolabatur, eisq̃ue ma- usus distri-  
 nus imponens, pro eorum salute rogabat, butis.  
 omni ratione opitulari miseris contendens.  
 Compluribus verò mortalibus persuasit,  
 vt in cælum facultates suas vtili sorte seu Enarrat. in  
 cambio præmitterent, quod alioquin hîc Pfal. 146.  
 X & serm. 48. oportet



oporteat eas necessariò relinquere, quibus in cælo meliùs, ac non exiguo tempore, sed æternùm frui licet. Ob eandem causam ridet eorum hominum vanitatem, qui bona sua legant amicis, à quibus citò traduntur obliuioni, tamquam mortui à corde, nihil ex suis bonis ampliùs referentes. Refert autem, quòd cum Romæ esset, ab amicis fuerit deductus ad intuendum antiquitates Romanorum; seque vidisse inortui corpus detectum (Cæsaris aiebant esse) putredine ac sanie diffluente, ventre exeso, reptibus cateruatim per eum vermibus, è quibus duo in oculorum foueis pascebantur. Erat eiusdem calua glabra atque depilis, dentes absumptis labiis turpiter eminebant, eratque visentibus cadauer ipsum horrore. Quod intuens Augustinus, ad matrem exclamasse fertur, Vbinam est Cæsaris præclarum corpus? vbi magnitudo diuitiarum? vbi apparatus deliciarum? vbi acies militum? vbi thalamus pictus? vbi thronus regalis? vbi facies decora, & emicantia hinc speciosa lumina? Transierunt omnia. Dormierunt enim somnum suum, & nihil inueniunt viri diuitiarum in manibus suis. Vis tu inuenire aliquid in manibus tuis postea? in manibus nunc pone Christi, in manibus pauperum. Respice manus inanes, si vis (iudicio sisten-

NOTA.

*Bona mundi à morte nihil.*

*Horridum mortui spectaculum.*

Serm. 48.

Enart. in  
Psal. 75.



sistendus) *habere manus plenas*. Cùm autem inaudisset absens, suos Hipponenses ob ingruentium malorum metum in eleëmofynarum datione refriguissse, redarguit eos his verbis: *Non solùm non debetis minùs, sed etiam ampliùs facere opera misericordie, quàm soletis. Sicut enim ad loca munitiora festinantiùs migrant, qui ruinam domus vident contritis parietibus imminere; sic corda Christiana tanto magis debent bona, quæ in terrâ recondere disponebant, in thesaurum celestem impigrâ celeritate transferre, gaudentes quòd immortalì Domino, ad quem venturi, bona propria commendarint.*

Epist. 38.

Elegans  
compara-  
tio.

## CAPVT L.

*Templa construit, ac Diuorum Reliquiis exornat, quæ frequentibus coruscant miraculis.*

**N**ON paucos mortales huiuscemodi monitionibus permouit, vt liberalitatem in pauperes ampliùs exercebant, Christumque heredem suum instituerent, vtque in monasteriorum ac templorum structuram erogare de partis sibi rebus haud dubitarent. Has ille ecclesias non tam annuis censibus, quàm Sanctorum Reliquiis augebat, diui in primis Stephani, plurima ibidem miracula perpetrantis; de quo ipse:

Hereditates in pias causas monitu D. Augustini erogata.

X 2

Non-